

Cur Deus condidit naturam?

Deus condidit hoc pulchrum opificium, vt se patefaceret, vt testimonia de se ostenderet, vt bonitatem suam impertiret multis, vt ex humano genere condito ad suam imaginem colligeret sibi ecclesiam, cui lucem, sapientiam et laeticiam suam communicaret et ab ea agnosceretur et celebraretur in omni aeternitate.

5

[55:] Quare creatio tribuitur Patri, cum sit opus commune diuinitatis?

Primum ideo hoc fit, quia aeternae personae alias habent notas incurrentes in oculos, per quas agnosci possunt vt Filius assumpsit naturam humanam, Spiritus sanctus apparet die pentecostes specie flammaram. Tribuitur ergo creatio Patri tanquam signum et nota monstrans Patrem. Deinde etsi per Filium omnia facta sunt et Spiritus sanctus fouet omnes creaturas, tamen vt Pater est fons diuinitatis, sic voluntate Patris omnia extiterunt. Monstratur ergo ordo creationis, qui talis est: Pater vult creationem et totum ordinem rerum. Hanc voluntatem exprimit per Verbum, quo dicente res fiunt et ordine distinguuntur et Spiritu sancto simul creante fouentur res. Adultiore Basilij dictum considerent in libro de Spiritu sancto cap. 16: προκαταρκτική αίτία τῶν γενομένων ὁ πατήρ, δημιουργική ὁ υἱός, τελειωτική τὸ πνεῦμα.^{f92}

^f πνεῦμα etc.: A, B, E.

⁹² Basilius von Caesarea, De Spiritu sancto XVI, 38, in: PG 32, 136 (FC 12, 184,29–186,1).